

0823 VI 08.

K. Ludwig der Fromme restituiert dem Bistum Passau gewisse, demselben von seinem Vater K. Karl dem Grossen geschenkte Güter, welche aber durch die Markgrafen mittlerweile davon wieder abgekommen waren.

- (Quelle: OÖUB 2 (Wien 1856), S. 8) -

Frankfurt/Main, 28. Juni 823

Hormayr, Wien, II. Jahrg. III. Urkundenbuch, pag. 183, Nr. 295. - Buchinger's Geschichte von Passau II. 483. - Hansiz, Germ. sacr. I. 155. §§ Oefele, Sept. I. 703. §§ Mon. boic. XXX. I. 381. Nr. 4, wo diese Urkunde für unecht erklärt wird. Siehe loc. cit. die Noten a und b. -

Sprache: Latein - Originaldatierung: I. iiii. Kl. iul.

In nomine domini dei et saluatoris nostri Jhesu Christi Hludouuicus diuina ordinante prouidentia Imperator augustus. Nullum fidelium nostrorum ambigere credimus, qualiter domnus et genitor noster beatae memoriae piissimus imperator Karolus regnum hunorum suae ditioni non sine magno preliorum labore subiugauerit et homines terrae illius cultui Christiane religionis mancipauerit In tantum, vt etiam in eadem prouincia multas aecclesias ob dei reuerentiam et renouari et a fundamentis construi faceret. Tum dei iussu super deuastatione et inopia patauiensis episcopatus misericordia motus plus celeste quam terrenum lucrum desiderans quedam loca ad eandem aecclesiam saneti Stephani promartyris Christi, In qua sanctus valentinus corporaliter requiescit, vbi tunc Vualdaricus venerabilis episcopus praeerat, tradidit, hoc est in prouincia auarorum quendam locum, qui vocatur litaha, et in terra hunorum Zeizzinmurum, Treismam, Vuachouuam, Pelagum, Nardinum, Reode, Asbahc, Vuoluesvuanc, Erlafam et in artagrum basilicas duas et in saxina basilicas duas; sed postquam domnus et genitor noster piae memoriae Karolus imperator defunctus est, marchiones eiusdem prouinciae de episcopatu eadem loca alienare et eorum potestati subdere Conati sunt. Cum autem Reginharius episcopus effectus est, deuitans discordiam et litem Gotafredum marchionem et iudices illius prouinciae in presentiam nostram fecit venire. Nos vero iusta lege et iudicio totius populi iuxta traditionem praedicti Imperatoris loca superius nominata ad praedictam sedem pertinere debere decreuimus. Tunc memoratus episcopus nostram implorauit clementiam, Vt aliquam futurae securitatis a nobis acciperet firmitatem, quo iam dicta loca liberius firmiusque pontifices eiusdem sedis tenerent, quod ita et nos fecisse omnium fidelium nostrorum cognoscat industria. Proinde ergo nostra imperiali auctoritate iubemus, vt praedicta loca, id est litaha iuxta fontem, qui vocatur sconibrunno, cum omni integritate, sicut Theodericus habuit in sua potestate, et Zeizinmurus cum tali marcha, vt genitor noster Karolus decreuit, hoc est ab illo castello in orientali plaga usque ad pendenfem lapidem in ora montis Comageni et in australi usque ad chunihohesstetin, in occidentali autem usque ad acernos sitos inter tullunam et ipsum Castellum et vltra danubium ad trebinse et exinde ad mochinleo et usque ad ezinburi et Treisma curn omni integritate, similiter Vuachouua et cetera omnia loca, que praescripta sunt, rectores eiusdem aecclesiae cum omnibus ad eadem pertinentibus cultis et incultis, agris, pratis, pascuis, siluis, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, venationibus, molendinis, exitibus et redditibus, quesitis et inquirendis, totum et integrum absque ulla contradictione teneant atque

possideant et quicquid illis exinde facere libuerit, iure aecclesiastico libero perpetualiter in omnibus potiantur arbitrio et siquis hec infringere temptauerit, exinde reddet rationem in diem iudicii, et ut haec auctoritas pristinae traditionis et nostrae confirmationis inconvulsa et inuolabilis permaneat, manu propria subter firmauimus et anuli nostri impressione sigillari iussimus. Signum (Monogramma) hludouuici piissimi Imperatoris (S. R.). Simeon diaconus et cancellarius ad vicem Fridegisi Archicapellani recognoui et subscripsi. — Data anno dominice incarnationis dcccxxiii. indict. I. iiii. Kl. iul. Regnante domno hludouuico annos X feliciter.

Actum Franchonofurt in dei nomine. Amen.

- (Quelle: OÖUB 2 (Wien 1856), S. 8-9) -